



1775, 3
6

ORDINIS IVRIDICI DECANI
D. IO. CHRISTOPH. KOCH

PROGRAMMA

DE

CONSPECTV TESTATORIS

AD L. IX. C. DE TESTAMENTIS

QVO

PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI

9. 497.
SYMMORVM IN IVRE HONORVM

CANDIDATI

IOANNIS IOACHIMI BOLTEN

HAMBVRGENSIS

SOLEMNIA INAVGVRALIA

AD D. II. MAII MDCCCLXXV.

HABENDA

INDICIT

Giessae literis Braunianis.

ORDINIS SACRATISSIMI

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

PHYSICUS

GENERICIUM TESTAMENTUM

AD RITE SACR. TESTAMENTIS

PERVENERUNT AC DOCEBUNT

SACRATISSIMO IN IURE HONORARI

NOTARIUS JOHANNES BOTTEN

AMMUNITIONI

AD RITE SACR. TESTAMENTIS

TESTAMENTIS

TESTAMENTIS

TESTAMENTIS

TESTAMENTIS



PROGRAMMA
DE
CONSPECTV TESTATORIS

ad l. 9. C. de testam.



Coecum ad testamentum *scriptum* testem
adhiberi non posse, nemo ambigit.
An vero coecus in *nuncupatio* etiam
testamento in testibus esse non possit?
inter Ictos non conuenit. Sunt, qui
coeci patrociniū in se susceperunt,
veluti GEORG. BEYERVS in *Posit. ad Pand.* pag. 462.

a 2

DIE-

DIETERICVS EBERHARDVS STÜVE in *diff. de testimonio coeci & surdi in testamento*, Erfordiae 1693 Praefide DIETER. WILHELMO MATTHIA habita, & nuperime Praenob. CHR. AVG. LAVRICHIVS in *diff. de coeco idoneo in testamentifactione teste*, Lipsiae 1773. sub Praesidio Excell. & Celeberr. AVG. FRID. SCHOTT. defensa. Dissertatio illa *Erfordiensis* adeo rara est, vt LAVRICHIVS ne *Lipsiae* quidem eius copiam habere potuerit. * Communis ICTorum schola coecum repellit; quod nec LAVRICHIVS dissimulavit. conf. *ill. CAROL. FRID. WALCHIVS in Intrad. in controu. iur. ciuil. p. 178.*

Primarium contra *coecum* argumentum peti solet ex l. 9. C. de *testam.* ---

Si non speciali privilegio patriae tuae iuris observatio relaxata est, & testes non IN CON-SPECTV TESTATORIS testimoniorum officio functi sunt: nullo iure testamentum valet.

Omnes fere ICTi hanc legem ita interpretantur, vt *testes testatorem conspiciere debeant.* BEYERVS vero, STÜ.

* Recudi eam a *Braunio* nostro, Typographo huius Academiae solertissimo, curavi, ex cuius officina proxime prodibit.

STÜVIVS ** & praecipue LAVRICHIUS legem illam eum explicant in modum, *vt testator testes conspiciere debeat.*

Audiamus LAVRICHIUM p. 18. seq.

Omni latinitate inuita testes in conspectu testatoris constituti dicuntur testatorem videre. Conspectus significatio *actiua* est, vt adspectus, prospectus, & ille qui conspicit, conspectum habet, non qui conspicitur. Meus igitur conspectus est, quando aliquem video, & is, qui in eo loco versatur, vt videri a me possit, is inquam in conspectu meo est, non semper ego inuicem in suo v. c. si tergum mihi aduertat. Id probant omnia loca veterum, in quibus hoc verbum obuenit --- nec poterit excitari locus, vbi in hac locutione: *in conspectu alicuius esse*, *actiua* significatio conspectus dubia vel videatur. ---

Videamus an vera sint, quae nimis sane audenter LAVRICHIUS scripsit. Consideremus primo significationem CONSPECTVS *generatim*, deinde
a 3 *spe-*

** STÜVIVS c. 3. §. 2. ita respondet ad l. 9. *cit.* --- Pergamus ergo statim ad coecum, vbi l. 9. C. de *testam.* requirit, vt testes sint in conspectu testatoris: at qualis frequentia: quicumque me non videt, ille non est in meo conspectu. Et quid impedit, quo minus conspectum praesentia intelligamus cum RITTERSHVSIO?

speciatim, quae scilicet significatio huic vocabulo in l. 9. cit. tribuenda sit.

I.) In *conspectu alicuius esse*, tam *actiue* quam *passiue* rectissime intelligi potest, propterea quod Latini non tantum *conspetus meus* (quamuis etiam *conspetus meus* *passiue* explicari possit, ex omnium Grammaticorum sententia, conf. V. Cl. IAC. TH. FR. RAMBACHII *Grammat. lat.* p. 319. ---) sed etiam *mei* dicunt. Posterius, ubi *genitiuus pronominis* additur, extra omnem dubitationis aleam ponit sequens locus VALENTII MAXIMI l. i. c. 6. n. 9. *Priusquam exoptatum cuius oculis CONSPECTVM TVI offerres* --- Opportune quoque occurrit locus PLINII in *Panegyrico* c. XXII. §. 3. *Te paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes, aegri quoque ad CONSPECTVM TVI, quasi ad salutem sanitatemque prorepere.* Est etiam haec communis ratio verbalium atque eorum, quae animi affectum, quae facultatem, aut partem alicuius, vel simile quid notant, vt *amor meus & mei*, *aestimatio mea & mei*, *expectatio, vindicta mea & mei.* conf. VOSSIVS de *Construct.* c. 57. Nec est, quod dubites, quin de substantiuis, loco pronominum, eiusmodi vocibus genitiuo casu adiectis, idem sit iudicandum, dummodo rei natura, de qua sermo est, vtrumque permittat. *Amor enim Dei* secundum omnium Grammaticorum sententiam *actiue & passiuè* explicari potest, ita vt & amorem, quo amat Deus, & quo amatur, sonet. Similiter *iniuria uxoris & illa*

la est, quam facit, & quae illi fit. Contra *timor Dei* is tantum esse potest, quo Deus timetur. Ex analogia igitur linguae, quam nemo negabit, haec quoque formula: *Caius est in conspectu Titii*, non tantum *actiue* explicari potest: *Titius conspiciat Caium*, sed & *passiue*: *Titius conspicitur a Caio*. Simillima ratio est, ubi *testes in conspectu testatoris constituti* dicuntur. Ergo hac etiam in formula genitiuus: *testatoris, actiue*, ut testator eos conspiciat; & *passiue*, ut ab illis conspiciatur s. ipsi illum conspiciant, sine vlla linguae iniuria accipi potest. Sensum *passiuum* egregie probant cum supra allegata VALERII & PLINII loca (in quibus *conspectus tui* aliter omnino explicari non potest, quam *passiue*) tum inprimis etiam l. 38. D. de S. P. V. --- *Si aedes meae a tuis aedibus tantum distent, ut prospici non possint, aut medius mons EARVM CONSPECTVM auferat* (i. e. impediat, quo minus conspici possint) *seruitus imponi non potest*. --- Praetera *passiuus* sensus non potest non admitti, ubi in conspectu rei *inanimis* aliquid fieri dicitur. Sic autem CICERO *Verr. 5, 69*. --- *Mori in conspectu legum* --- de *Leg. 1, 26*. *Natura ceteros animantes abiecit ad pastum, solum hominem ad coeli conspectum excitauit*. Et de *Leg. 2, 27*. --- *Larum religio posita in conspectu fundi*.

Error, in quem LAVRICHIUS incidit, inde sine dubio natus est, quod in GESNERI *Thesauro*, ad quem

quem etiam prouocat, legit: *Conspectus, actus seu facultas conspiciendi* --- vnde coniectauit, omnes formulas, vbi genitiuus additur, (vt in *conspectu alicuius esse*) aliter explicari non posse, quam *actiue*. Sed falso. In his enim formulis non *ipsum actus & facultatis* nomen *passiue* accipitur; verum *genitiuus* connexus. Recte igitur GESNERVS dixit, *conspectum sonare actum s. facultatem*: quo tamen non obstante *conspectus tui* i. e. quo tu conspiceris, *passiue* dicitur a VALERIO & PLINIO. Nam *conspectus* semper notat facultatem & actum conspiciendi, *genitiuus* autem, vel *subiectum conspiciens*, vel *obiectum visum s. videndum* addit. In priori casu, *genitiui* significatio *actiua*, in *posteriori*, *passiua* obtinet. Ita *conspectus tui* est, quo *ego facultatem habeo te conspiciendi*, quod deinde explicari variarique potest, quo *tu a me conspiceris*, vt videatur quidem *conspectus passiue* sumi, sed re vera non sumatur. Par ratio in aliis e. g. *amor Dei*, si *passiue* accipitur, Deum habet pro obiecto, ita vt Deus ametur. Sed *amor* semper actus est, siue in Deo sit, siue in alio erga Deum: hoc tantum discrimine, vt, si in Deo sit, *genitiuus Dei*, notet causam efficientem s. subiectum amans; si in alio, *genitiuus Dei*, significet obiectum amatum.

II.) Quamquam autem, vt monstrauius, erronea omnino est LAVRICII sententia, sensu phraeseos: in *conspectu alicuius esse*, *generatim* considerato; ideoque communis ICTorum explicatio l. 9. *cit.* tam absurda, cui-

evidenter falsa, & contra omnem latinitatem non fit, vt LAVRICHIUS sibi aliisque persuasit: magis tamen, si significationem horum verborum in l. 9. *cit.* ex me quaeris, cum BEYERO, STÜVIO & LAVRICHIO in *actiuam* inclino significationem, vt scilicet mens DIOCLETIANI & MAXIMIANI sit; quod *testator testes conspiciere debeat.* Mouent me, vt hunc sensum in *cit.* l. 9. praeferam, similes loquendi formulae in l. 7. §. f. D. de iniur. --- in *conspectu Praetoris* --- in l. 1. §. 22. D. de SC. Silan. --- in *conspectu seruorum* --- In duobis enim his locis significatio *actiua* indubia plane est. Imo omnem scrupulum plane eximit l. 30. C. de *testam.*, quae LAVRICHIVM latuit, in qua IVSTINIANVS per verba: *sub praesentia ipsius testatoris*, idem expressit, quod in l. 9. in *conspectu testatoris* dicitur.

Estne igitur coecus idoneus in testamentifactione testis? Neutiquam ex mea sententia. Quamuis enim primum, quod ex l. 9. *cit.* communiter peti solet, argumentum displiceat, non tamen ipsa communis displicet opinio. Gratis enim a Patronis coecorum assumitur, quod testes ad testamentum solius sollemnitatis gratia adhibeantur: quod innumeris textibus refelli potest. Audias modo verba l. 32. C. de *fideicommissis* --- *Cum enim res per testium sollemnitatem ostenditur: tunc & numerus testium, & NIMIA SVBILITAS*

TAS requirenda est. Lex etenim, ne quid FALSITATIS incurrat per DVOS FORTE TESTES compositum testamentum, MAIOREM numerum testium exposulat: ut per AMPLIORES homines PERFECTISSIMA VERITAS reueletur. --- Vix credo, quemquam serio adfirmaturum esse, quod voluntas coram septem testibus coecis nuncupata, perfectissimum testamentum iure ciuili firmumque constitutum sit, vti loquitur IUSTINIANVS in §. 14. I. de testam. ord.

Atqui verum omnino est, quod, si coecus in testamento nuncupatio fit idoneus testis, septem coeci testes recte adhiberi queant. Et vice versa, si septem testes luminibus orbat in testamento idonei non sunt, tum sequitur, vt nec vnus coecus in testibus esse possit, arg. l. 14, D. de testibus.

In idoneitate enim testium testamentariorum diiudicanda non numerum, sed qualitatem spectamus.

Sed filum rumpendum & ad id pergendum est, cuius causa haec praefatus sum.

Indi-

❁❁ (II) ❁❁

Indicanda enim sunt solemnia inauguralia,

VIRI

PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI

IOANNIS IOACHIMI BOLTEN

HAMBVRGENSIS

SVM MORVM IN IVRE HONORVM

CANDIDATI

dignissimi

qui vitae studiorumque laudabilium cursum his nobis
expofuit verbis:

Ego IOANNES IOACHIMVS BOLTEN natus
fum *Hamburgi* Anno MDCCCLII. die XII. Au-
gusti. Patrem habeo IOACHIMVM FRIDERI-
CVM BOLTEN, *artis medicae Doctorem, & Phy-
sicum reipublicae Hamburgensis primarium; Ma-*

b 2

trem

trem ANNAM MARIAM ex gente SILMIA;
 parentes quorum singularem erga me amorem,
 cum oratione digna praedicare nequeam, tacito
 corde venerabor. Etenim praeceptis non solum
 &, quod validius multo est, exemplo suo ani-
 mum a teneris annis ad honestatem formare la-
 borarunt; sed institutioni quoque Praceptorum
 spectatae fidei & scientiae me tradiderunt, sum-
 tibus in eo quidem nullis parcentes. Sic priua-
 tim per aliquod tempus instructus, illustre
 Gymnasium, quod *Hamburgi* floret, tam diu
 frequentavi, donec qui ad altiora doctrinarum
 pulpita assurgerem non indignus censebar; id
 quod felici fortunae successu mihi contigit,
Goettingam nempe profectus, *Viro summe vene-*
rando

rando ZACHARIAE fasces academicos tenente
 in numerum civium academicorum sum receptus,
 Ibi per triennium praelectionibus Virorum eru-
 ditionis fama longe lateque florentium sedulo
 interfui. Doctrinas *logicas metaphysicasque* hausi
 ex ore *Celeberrimi FEDERI*, viri, humanitate
 sua non minus quam doctis Chartis nemini non
 commendati. Sic praeparatus ad iurispruden-
 tiam animum propius appuli. In *historia & iu-
 re germanico* secutus sum *Generos. de SEL-
 CHOW*; in *historia imperii R. G. ac iure publi-
 co*, *Perillustrem PÜTTERVM. Institutiones,*
Pandectas. & ius criminale Illustris MEISTERVS
 me docuit. Nec scholas *Perillustres BOEHMERI*
 & *Illustris BECMANNI* neglexi, sed ipsis, pla-
 cita

cita iuris subtiliter & ad vsum vitae practicae
 interpretantibus, sedulus auditor adfedi. Qui-
 bus omnibus absolutis praelectiones *theoretico*
practicas, repetitorias & elaboratorias Dr. WIL-
 LIG., *ICTi meritissimi*, frequentavi. Hinc *Gies-*
sam migraui, ibique coronidem studiis meis aca-
 demicis impositurus, a *Magnifico & Perillustri*
 KOCHIO priuatissimis lectionibus *iur criminale*
 didici. *Perillustri* GATZERTI *collegio practico*
 interfui; *examina ex vniuerso iure Illustris*
 HOEPFNERVS mecum instituit. Nunc summos
 in vtroque iure honores capeffendi mihi animus
 est, qui vt ab inclyto ICTorum ordine in me
 conferantur, obseruantissime rogo.

Quum

Quum hoc modo iurisprudentiae operam nauauerit *Candidatus praestantissimus*, non potuit fieri, quin in examine *Ordini nostro* praeclaram, quam sibi comparauit, eruditionem abunde probaret. Aperuimus quoque ipsi, vt publicum scientiae legalis edat specimen, cathedram solemnem, ex qua ad d. II. Maii *Positiones iuris selectas* SINE PRAESIDE defendet. Absolutis denique omnibus, quae statuta nostra a Candidatis summorum in iure honorum postulant, specimenibus, eodem die *Iuris vtriusque Doctor* creabitur.

Haec iam solemnia publice significo & MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM PROFESSORES AC PROCERES OMNIVM ORDINVM CELEBERRIMOS

MOS ET AMPLISSIMOS OMNIUM FACULTATUM
DOCTORES ET HOSPITES AC GENEROSISSIMOS
ET NOBILISSIMOS CIVES COMMILITONES ea,
qua decet obseruantia & humanitate rogo, vt solem-
nitatem hanc praesentia sua honorifica condecorare,
velint. P. P. in Acad. Giesfensi d. xxx. April.

CIDICCLXXV.



MOI
AC PROCEDES OMNIUM FACULTATUM
MICA ACADEMIAE DOCTOREM PROFESSORIBUS
Hoc in die...

ULB Halle
005 120 055

3



SS.

TA-306





1775, 3

6

ORDINIS IVRIDICI DECANI

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

PROGRAMMA

DE

CONSPECTV TESTATORIS

AD L. IX. C. DE TESTAMENTIS

QVO

PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI

SVMORVM IN IVRE HONORVM

CANDIDATI

IOANNIS IOACHIMI BOLTEN

HAMBVRGENSIS

SOLEMNIA INAVGVRALIA

AD D. II. MAII MDCCCLXXV.

HABENDA

INDICIT

Gießae literis Braunianis.

P. 497.

